

nifu dextram versus currens, cornibus prominulis, capite aureo diademate insigni; inferiori parte sex trabibus cæruleis & aureis supra descriptis exornata. Clypeo galea coronata imposita, ex qua prodiit dimidius taurus scutarius dextram versus se inclinans, erectis prioribus pedibus. Hæc armorum figura in Parochiali templo Dominii Paar exhibetur, quæ Martinus Baro de Paar An. 1525. affigi curavit. Sed Petrus, Josephus, Mundinus & Johannes Baptista Fratres Barones de Paar, Ferdinandi I. Imperatoris beneficio novam accessionem insignium, aliamque eorum dispositionem Anno 1559. consecuti sunt. Utamur propriis verbis Diplomati insertis: *Sit scutum quadripartitum, seu in quatuor partes secundum latitudinem & longitudinem divisum, quarum superior sinistra & inferior dextra obliquè inter se posita sint, aurei coloris, & utraq; Aquilam nigram explicatis alis & pedibus, hianti rostro, aurea corona Capiti imposita, insignem contineat, reliquæ verò duæ, superior scilicet dextra, & inferior sinistra vetera Familie vestre insignia representando. Scuto imposita sit galea tornearia aperta seu clathrata, cum coronâ aureâ, ex quâ duæ insignes alæ vulturinæ expansæ surgant, quarum altera quæ dextra est, sit aurea, tribus lineis cæruleis à dextrâ in sinistram obliquè ductis distincta, altera rubea linea alta justæ latitudinis per medium dissecta, inter has alas taurus esto rubeus, pubertenus conspicuus, similis ei qui in veteribus insignibus conspicitur in eâ corporis constitutione, ut utroq; oculus videri possit, phaleris seu tennis ab utroq; clypei latere circumfusus, à dextra aurei & cærulei coloris, à sinistra verò rubei & candidi.* Hoc scutum in Fürstii Armorario (Wappen-Buch) Part. 1. pag. 48. exhibetur, eoq; Comites de Paar ad usq; An. 1623, usi sunt. Tunc Johannes Christophorus à Ferdinando II. Imperatore, tesseras sic dispositas nactus est. Data nempe Aquila Imperialis nigra, expansa, biceps, utroque capite coronata, cui Diadema Cæsareum imminet, ejusque pectori impositum est scutum quadripartitum, Laterculus primus & quartus senis baltheis aureis & cælestinis dextris exornatur. Tertius & quartus argento tinctus aquilam simplicem minio infectam, refert, hisce quadrantibus incumbit parmula argentea, in quâ dimidius taurus rubeo colore & cornibus aureis pictus, conspicitur. Clypeus autem corona Regia tegitur. Hanc armorum Dispositionem ad id tempus usq; Comites de Paar gestarunt, quo Rosenbergia & Schvvanbergia insignia Anno 1665, cum suis conjunxerunt. Eo enim temporis tractu hujuscemodi scuti dispositio assumpta: Retento enim clypeo genti-